

8.52.3

*Imp. Iustinianus A. Demostheni pp.*

Sancimus nemini licere, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus sive a libertina progenie sive servili condicione maculatus expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare sive nomine dominii sive adscripticiae sive colonariae condicionis. Sed neque his, qui eos nutriendos licentiam concedi penitus (cum quadam distinctione) eos tollere et educationem eorum procurare, sive masculi sint sive feminae, ut eos vel loco libertorum vel loco servorum aut colonorum aut adscriptiorum habeant.

1 ¶ Sed nullo discrimine habito hi, qui ab huiusmodi hominibus educati sunt, liberi et ingenui apparent et sibi adquirant et in posteritatem suam vel extraneos heredes omnia quae habuerint, quomodo voluerint, transmittant, nulla macula vel servitutis vel adscripticiae aut colonariae condicionis imbuti: nec quasi patronatus iura in rebus eorum his qui eos susceperunt vel susceperint praetendere concedi, sed in omnem terram, quae Romanae dicioni supposita est, haec obtainere.

2 ¶ Neque enim oportet eos, qui ab initio infantes abegerunt et mortis forte spem circa eos habuerunt, incertos constitutos, si qui eos susceperunt, hos iterum ad se revocare conari et servili necessitatibus subiugare. Neque hi, qui eos pietatis ratione suadente sustulerunt, ferendi sunt denuo suam mutantibus sententiam et in servitutem eos retrahentes, licet ab initio huiusmodi cogitationem habentes ad hoc prosiluerint, ne videantur quasi mercimonio contracto ita pietatis officium gerere.

3 ¶ Haec conservantibus tam viris clarissimis praesidibus provinciarum quam viris religiosissimis episcopis nec non officiis praesimalibus et patribus et defensoribus civitatum et omni civili auxilio.

*D. XV k. Oct. Chalcedone Decio vc. cons.*

[a. 529]